

## «INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

### *De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (3)*

#### *2.3.3.3. De condicionibus missionis denuo susceptae*

Post calamitatem missionis Africanae Ottiliani valde affecti erant. Tamen spem non deposuerunt atque vires suas denuo colligere coeperunt. Cum iam mense Septembri a. 1889<sup>i</sup> P. Amandus Acker Patrum Spiritūs Sancti superior Zanguebarensis Ottilianos rogaret, ut in Africam Orientalem reverterentur, et cum Hermannus von Wissmann Germaniae commissarius imperialis eos ad opus missionarium denuo suscipiendum adhortaretur,<sup>1</sup> P. Andreas Amrhein primo haesitavisse videbatur.<sup>2</sup> Tamen īdem paulo post aliter deliberavit et iam mense Novembri a. 1889<sup>i</sup> P. Bonifatius Fleschutz et Fratres Iosephus Irrgang atque Fridolinus Braun in Africam Orientalem praemissi sunt, ut ibīdem rem praepararent.<sup>3</sup> Erant ergo illi tres in Africam reversuri, qui ex calamitate Puguensi superstites evaserant. Iidem autem die 30<sup>o</sup> m. Nov. a. 1889<sup>o</sup> in Zanguebariam advēnērunt. Paucis diebus post ad urbem Daressalam transmigraverunt, ubi deinde duo aedificia ēmērunt, quae prorsus restauranda

---

<sup>1</sup> *Cfr* Leander BOPP: Die ersten fünfzehn Jahre unserer Missionstätigkeit in Ostafrika. St. Ottilien 1956, p. 38 (typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum); Frumentius RENNER: Der fünfarmige Leuchter. I. St. Ottilien <sup>2</sup>1979, p. 151; Frumentius RENNER: Die Benediktinermission in Ostafrika - eine Übersicht. *In*: Frumentius RENNER (ed.): Der fünfarmige Leuchter. II. St. Ottilien <sup>2</sup>1992, p.127; Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und Wirklichkeit. *In*: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. 100 Jahre benediktinische Missionsarbeit. St. Ottilien 1983, p. 91.

Hermannus von Wissmann seditionem Africanam acriter suppresserat et «condiciones ordinatas», quae dicebantur, iterum instituit. *Cfr* ex. gr. Hans-Ulrich WEHLER: Bismarck und der deutsche Imperialismus. Köln / Berlin 1969, p. 364; Michael PESEK: Koloniale Herrschaft in Deutsch-Ostafrika. Frankfurt/M / New York 2005, p. 189; Horst GRÜNDER: Christliche Mission und deutscher Imperialismus. Paderborn 1982, pp. 183 sq.; Horst GRÜNDER: Geschichte der deutschen Kolonien. Paderborn / München / Wien / Zürich <sup>5</sup>2004, p. 87; Imre Josef DEMHARDT: Deutsche Kolonialgrenzen in Afrika. Hildesheim / Zürich / New York 1997, pp. 353 sqq.

<sup>2</sup> Talis cautio bene intellegibilis erat, cum unā ex parte calamitas Africana nondum superata esset et alterā ex parte, quamvis seditio efficaciter suppressa iam esset, condicio in Africā Orientali nondum esset omnino tranquilla.

<sup>3</sup> *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 38; Frumentius RENNER: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), p. 151; Frumentius RENNER: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 127; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 91; Bernita WALTER: Von Gottes Treue getragen. I. St. Ottilien 1985, p. 147; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, pp. 22 sq.

instituerentur monasteria virorum et mulierum et quae - uti praecogitatum erat - domūs praeparatoriae pro futuris stationibus in interiore parte regionis sitis fierent.<sup>4</sup>

Mense Aprili a. 1890° P. Bonifatius iam rogavit, ut nova expeditio missionaria in Africam mitteretur.<sup>5</sup> Itaque mense Junio a. 1890° parvus grex porfectus est, qui ex quinque fratribus atque novem sororibus constitit<sup>6</sup> et cui P. Franciscus Mayr recenter ordinatus praefuit. Eorum autem adventū in urbem Daressalam novum initium Ottilianae missionis Africanae factum est.

Tamen tempus initiale satis pauper erat, cum aedificia monasterialia nondum bene instructa essent atque multae res ad usum cottidianum deessent.<sup>7</sup> Sed ipsa opera missionaria paulatim bene progrediebantur. Nihilominus aliis ex causis maximae difficultates exortae sunt. Nam propter condiciones climatis, cui non bene assuefacti erant et quas fortasse laboris causā non semper diligenter observaverunt, fratres sororesque saepe gravi morbo afficiebantur. Magna



*P. Bonifatius Fleschutz.*  
[Cfr Frumentius RENNER: *Leuchter I*  
(<sup>2</sup>1979), p. B 8.]

---

<sup>4</sup> Cfr Leander BOPP (1956), p. 39; Paulus SAUTER: *Die Benediktus-Missions-Genossenschaft. Rückblick auf die ersten zehn Jahre. St. Ottilien 1894*, p. 16; Cyrill WEHRMEISTER: *Die Benediktinermissionare von St. Ottilien. St. Ottilien 1939*, p. 43. - Illa aedificia videntur in initio revera paene parietinae fuisse. Domibus aliquatenus restauratis virorum monasterium Sancto Iosepho, mulierum monasterium Sanctae Mariae dedicatum est. Tamen habitandi condiciones primis annis satis miserae fuisse videntur.

<sup>5</sup> Cfr Leander BOPP (1956), p. 40; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (<sup>2</sup>1979), pp. 151 sq.; Frumentius RENNER: *Leuchter II* (<sup>2</sup>1992), p. 129; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 91; Bernita WALTER (1985), p. 147; Paulus SAUTER (1894), p. 16.

<sup>6</sup> Inter quos etiam erat Fr. Michael Hofer, qui fuerat inter primos, qui iam domui Richopagensi modo conditae se adiunxerant. Cfr supra pars I (VOX LAT. 175, 2009, p. 60 et adn. 178).

<sup>7</sup> Leander BOPP (1956), p. 40 scribit tales condiciones pauperes, quae vigeabant, non esse omni modo intellegibiles, cum P. Bonifatius scivisset sibi licere usque ad viginti milia marcarum quotannis erogare.

autem calamitas facta est, cum die 29<sup>o</sup> m. Ian. a. 1891<sup>o</sup> P. Bonifatius Fleschutz propraefectus apostolicus feбри correptus vitā functus esset nondum triginta annos natus.<sup>8</sup> Īdem ut superior missionis ab omnibus magni aestimatus erat et indigenae quōque eum vere dilexerant. Etiam in patriā Ottiliensi magnā cum tristitiā hic nuntius de eius morte perceptus est et P. Andreas Amrhein morte P.ris Bonifatii graviter tactus fuisse dicitur.<sup>9</sup>

In ipsa regione missionariā munus superioris ad P.rem Franciscum Mayr transiit,<sup>10</sup> qui ipse adhuc satis iuvenilis erat et, quamvis optimā indole praeditus, nondum magnam experientiam habuit. Tamen difficultates proximis temporibus augebantur. Nam non solum plures sorores fratresque morbo correpti vitā functi sunt, sed etiam ipse P. Franciscus feбри iam debilitatus erat. Itaque ex patriā Ottiliensi auxilium desideratum mittebatur: duo fratres, quinque

---

<sup>8</sup> *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 43; Frumentius RENNER: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), p. 152; Siegfried HERTLEIN (1983), pp. 91 sq.; Bernita WALTER (1985), p. 148; Cyrill WEHRMEISTER (1939), pp. 43 sq.; Paulus SAUTER (1894), p. 16, qui per errorem annum 1898<sup>um</sup> indicat.

<sup>9</sup> Tamen antea videntur quaedam dissensiones inter P.rem Andream Amrhein et P.rem Bonifatium Fleschutz fuisse. Nam unā ex parte P. Amrhein P.ri Bonifatio opprobrio dedit eum nimis artam amicitiam cum Patribus Spiritūs Sancti, imprimis cum P.re Amando Acker coluisse. Alterā ex parte videntur inter ipsos disputationes quaedam exortae esse, quibus agebatur de principiis quibusdam monasticis in missione adhibendis. Nam P. Bonifatius, cum numerum monachorum missionariorum in praesenti non sufficere videret, ex experientiā suā sibi persuasum habuit tali condicione initiali non ita opportunum esse iuxta missionarium monasterium principale multa nova monasteria dependentia condere, sed melius esse primo plures exposituras, quae dicuntur, instituere. Tamen talis modus procedendi erat contra praecepta P.ris Andreae Amrhein, qui hōc P.ri Bonifatio etiam opprobrio dedit. - De hac re *cfr* fusius Leander BOPP (1956), pp. 44 sqq.; breviter rem commemorat etiam Frumentius RENNER: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), p. 152. - Oprrobrium autem, quo agitur de amicitia nimis artā inter P.rem Bonifatium et Patres Spiritus Sancti, magis generaliter iam invenitur in illis brevibus notitiis supra commemoratis (*cfr* cap. 2.3.3.2., adn. 142), cui titulus est «*De mendis, quae in loco Pugu commissa sunt ...*» (ASO, Daressalam 6). Ex hoc concludi potest hanc paginam P.rem Bonifatium ipsum non conscripsisse, sed unus ex fratribus superstitibus (sive Iosephus Irrgang sive Fridolinus Braun).

<sup>10</sup> Īdem eā de causā superior factus est, quia in monasterio missionario illo tempore unicus sacerdos et hunc in modum insimul senior erat. Sed post mortem P.ris Bonifatii neque ipse neque illi, qui ei immediate successerunt, officialiter - id est ab Congregatione de Propagandā Fide - ut Propraefecti Apostolici instituti sunt. Demum P.rem Maurum Hartmann, cum Īdem factus esset superior monasterii missionarii, Congregatio de Propagandā Fide anno 1894<sup>o</sup> novum Propraefectum Apostolicum instituit. - De hac re *vide infra*.

sorores atque sacerdos P. Franciscus Xaverius Baumann.<sup>11</sup> Tamen gaudium de hōc auxiliō erat tantummodo dimidiatum, cum - ut omnes fontes consentiunt - celeriter appareret P.ri Francisco Xaverio indolem neque satis monasticam neque vere missionariam fuisse.<sup>12</sup> Calamitas autem aucta est, cum P. Franciscus, qui iam diutius aegrotaverat, sed interdum paululum recreatus videbatur, denique die 23<sup>o</sup> m. Oct. a. 1891<sup>o</sup> vitā functus esset viginti quattuor annos natus.<sup>13</sup> Morte autem tot fratrum sororumque videtur P. Andreas Amrhein ita affectus fuisse, ut die 24<sup>o</sup> m. Oct. a. 1891<sup>o</sup> in imo colle cappellae Sanctae Ottiliae magnam crucem ferream erigendam curaret, quae in directionem meridi-orientalem versa ad Africam «spectat» et quā arta coniunctio cum missione demonstratur.



*Crux ferrea in imo colle*

Sed difficultates post mortem P.ri Francisci demum incohabantur.

Nam P. Xaverius, qui deinde ibidem unicus sacerdos erat, eā de causā superior missionis factus est, quae quidem condicio missioni non erat opportuna, cum idem ordinem non servaret, bonum exemplum ipse non praeberet atque hunc in modum dissensiones internas quadamtenus instigaret. Videtur autem P. Franciscus aliquid huiusmodi praevidisse, quia ante mortem suam ab P. re Andrea Amrhein petiverat, ut P. Xaverius iterum domum revocaretur. Eā de causā P. Dominicus Enshoff in Africam missus est, qui in monasterio missionario ordinem iterum institueret. Die 9<sup>o</sup> m. Febr. a. 1892<sup>o</sup> unā cum F. re Matthia idem in urbem Daressalam advēnit et secum attulit «epistulam poena-

---

<sup>11</sup> Advenerat ille grex in urbem Daressalam die 30<sup>o</sup> m. Iul. a. 1891<sup>o</sup>.

<sup>12</sup> *Cfr* ex. gr. Leander BOPP (1956), pp. 51 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 153; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 92; Godfrey SIEBER (1992), p. 23.

<sup>13</sup> *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 51; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 153, qui diem 21<sup>um</sup> m. Oct. indicat; Bernita WALTER (1985), p. 148, quae diem 22<sup>um</sup> m. Oct. indicat.

lem» ab P.re Andrea Amrhein scriptam.<sup>14</sup> Hanc epistolam unusquisque monachus copiare debebat et per semiannum unoquoque primo die lunae mensis ieiunium severum observandum atque eodem die epistula praelegenda erat. Scopus autem huius epistolae erat in eo, ut condiciones internae meliorarentur. Sed quaestio est, num hic scopus hunc in modum ad effectum adduci potuerit.<sup>15</sup> Praeterea - quod non erat minimi momenti - perturbationes quaedamtenus maiorabantur, quia non satis clare apparuisse videbatur, quis in monasterio missionario praepositus esset et itaque dicendum haberet. Cum P. Dominicus missus esset «ad ordinem denuo instituendum», videtur idem ab parte monachorum ut praepositus perceptus esse. Tamen secundum principia generalia P.re Francisco vitā functo P. Xaverius, cum esset unicus sacerdos localis, quasi automaticè superior missionarius factus est.<sup>16</sup> Difficultates autem non minorabantur eo facto, quod P. Xaverius et P. Dominicus inter se omnino non congruebant. Sic etiam divisio inter fratres facta est, cum partim P.ri Dominico adhaerent, partim P.ri Xaverio.<sup>17</sup> Hunc in modum ille novus ordo exoptatus institui non potuit.

Itaque P. Cassianus Spiss in Africam mittebatur, ut auxilium ferret. Idem die 25<sup>o</sup> m. Aug. a. 1893<sup>o</sup> unā cum duobus fratribus in urbem Daressalam advēnit.<sup>18</sup> Res autem erat aliquatenus mira, quia P. Cassianus missus erat ut

---

<sup>14</sup> *Cfr* Leander BOPP (1956), pp. 52 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), pp. 153 sq.; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 92.

<sup>15</sup> *Cfr* Leander BOPP (1956), pp. 53 sq., qui paulo fusius argumenta illius epistolae tractat atque diiudicat. Mira enim videntur ea esse, quae P. Andreas Amrhein ibidem de generali fortunā missionis scripsit. Existimavit enim idem magnum numerum missionariorum mortuorum esse signum Dei, cuius voluntas non esset ille modus missionarius, quem P. Bonifatius atque P. Franciscus instituissent (et qui contra praecepta ipsius P.ri Andreae Amrhein fuisset). Nonnulla exempla huius opprobrii afferuntur. Leander BOPP unā ex parte adnotat conclusiones theologicas P.ri Andreae Amrhein esse miras atque semper difficile esse consilia Dei immediate pronuntiare, alterā ex parte diiudicat opprobria contra P.rem Bonifatium atque P.rem Franciscum prolata fuisse iniusta, cum iidem impigerrime operando initia missionis Ottiliensis bene instituissent atque munere pro Deo functo vitam amisissent. Similiter etiam Frumentius RENNERT: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), p. 153.

<sup>16</sup> *Cfr* Leander BOPP (1956), pp. 54 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), p. 154. - Ceterum P.ri Andreae Amrhein non fuisset ius novum superiorem missionis instituendi.

<sup>17</sup> Sequela quaedam huius dissensionis internae erat in eo, ut duo fratres consociationem relinquerent.

<sup>18</sup> *Cfr* Leander BOPP (1956), pp. 57 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), pp. 155 sq.; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 92; Lambert DOERR: Bishop Cassian Spiss (1866-

«visitator clandestinus», qui status in monasterio missionario demum semi-anno post eius adventum manifestabatur. Sub tali condicione etiam idem condiciones non funditus redintegrare valuit.<sup>19</sup> Nam internam divisionem coenobii missionarii etiam ille superare non valuit. Cum mense Aprili a. 1894<sup>i</sup> vota perpetua fratrum instarent, tres fratres monasterium reliquerunt, unus vero dimissus est. Ille autem, qui aestimabatur causa vera difficultatum, id est P. Xaverius, ultimus missionem reliquit atque die 28<sup>o</sup> m. Dec. a. 1894<sup>o</sup> dimissus est.<sup>20</sup> Status ergo internus missionis illo anno nondum erat omnino consolidatus. Sed spes quaedam erat res in melius mutatum iri.

#### **2.3.4. Quomodo Ambinga Ottiliensis sedes primaria facta sit**

Postquam initialem progressum primae missionis Africanae aliquatenus secuti sumus, revertamur oportet ad patriam Ottiliensem. Nam ibidem quoque illo spatio temporis mutationes factae sunt.

Primo autem dicendum est P.rem Andream Amrhein Ambingam Ottiliensem satis celeriter, postquam primae areae aedificiaque empta sunt, maioris momenti esse percepisse atque eundem Ambingam Richopago praetulisse. Putatur vero P. Andreas Amrhein iam mense Februario a. 1887<sup>i</sup> deliberavisse, num Ambingam Ottiliensem institueret domum matricem.<sup>21</sup> Tamen hoc non immediate factum est, cum P. Andreas Amrhein unā ex parte plures alias ideas haberet,<sup>22</sup> alterā ex parte condiciones generales respiciendae essent.

---

1905). Missionary Pioneer and Martyr. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER: Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 253.

<sup>19</sup> Cfr Leander BOPP (1956), p. 57; Lambert DOERR (2003), p. 253, qui existimat causam veram, cur P. Cassianus tam magnum effectum non habuisset, fuisse in P.ri Andreae Amrhein modo procedendi, qui hominibus ab ipso missis non satis auctoritatis tradidisset, cum ipse omnia in manū suā retinere voluisset.

<sup>20</sup> Cfr Leander BOPP (1956), p. 58; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 156; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 92. - P. Xaverius autem est exemplum, quo demonstratur non omnes homines per se esse bonos praepositos. Tamen illo tempore propter numerum sacerdotum non sufficientem P.ri Andreae Amrhein saepe nihil aliud relinquebatur ac eum mittere, qui erat in promptu.

<sup>21</sup> Cfr Leander BOPP: P. Andreas Amrhein O.S.B. Der Gründer der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. St. Ottilien 1954, p. 138; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 86; Bernita WALTER (1985), pp. 77 sqq.

<sup>22</sup> Sic ex. gr. cogitavit se Monasterii in Vestfaliā [Münster] coenobium verum atque domum matricem institutum esse, ubi et novitatus exerceretur et clerici viverent. Richopagum secundum eius deliberationes fuisset domus praeparatoria, ubi candidati ante novitatum versarentur, et Ambinga Ottiliensis destinata erat matrix domus sororum, quae praeterea Tutzingae haberent domum secundariam. Tamen haec omnia in

Nam his annis initialibus neque pecunia abundanter fluebat neque satis multi homines (imprimis sacerdotes) aderant ad omnia incepta suscipienda.

Sed cum animadverteretur locum esse vere idoneum, decursū anni 1887<sup>i</sup> - uti iam commemoratum est - fratres atque sorores ex Richopago paulatim et gradatim in Ambingam Ottiliensem transmigraverunt. Videtur ergo consilium pedetemptim maturuisse, quo domum missionariam in uno eodemque loco constituere opportunius esse putabatur.

Officialiter autem atque quadamtenus definitive manifestabatur translatio domūs missionariae, cum die 6<sup>o</sup> m. Nov. a. 1887<sup>o</sup> Magnus Fleschutz magistratibus Rotegensibus annuntiaret maiorem partem sodalium die insequenti domum Richopagensem relicturam esse atque ad Ambingam Ottiliensem transmigraturam esse, se ipsum paulo post ad expeditionem missionariam in Africam Orientalem profecturum esse.<sup>23</sup> Tamen de sorte futurā domūs Richopagensis Magnus Fleschutz nihil exactum dixit.<sup>24</sup>

Videntur autem magistratūs illius regionis his actionibus aliquatenus intranquilli redditi esse, cum nihil huiusmodi exspectavissent neque suspicati essent.<sup>25</sup> Irritatio quaedam insuper exorta est, quia P. Andreas Amrhein propter paenuriam loci pecuniaeque constituerat alumnos iuniores, qui locum gratuitum vel semigratuitum in domo missionariā habuerant, in patriam suam remittendos esse. Tamen magistratūs placati erant, cum perciperent illis

---

initio anni 1887<sup>i</sup>, cum condiciones adhuc vere difficiles essent, erant mera somnia. - *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 138 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 86; Bernita WALTER (1985), pp. 77 sq.

<sup>23</sup> *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 116; Bernita WALTER (1985), p. 77; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 114 sq., qui textūs ex actis Rodegensibus depromptos affert.

<sup>24</sup> Bernita WALTER (1985), p. 77 refert in conexū deliberationum, quibus agebatur de sorte futurā domūs Richopagensis, mense Ianuario a. 1888<sup>i</sup> immediate antequam aedificia Richopagensia vendebantur, Catharinam Scheins apud Fridericum Scheugenpflug fuisse, ut eum interrogaret, num ipse superior monasterii mulierum fieri vellet, quod tunc Richopagi institui posset. Ipsam etiam de eodem themate audientiam ab episcopo Ignatio von Senestrey petivisse, quae tamen ei non praebita esset. - Si Catharina Scheins revera talia colloquia habuit et habere conata est, deliberandum (et fortasse dubitandum est), utrum éadem hōc fecerit mandato P. ris Andreae Amrhein an potius suā sponte talia consilia perpetraverit. Res tamen manet mira.

<sup>25</sup> Haec intranquillitas videtur partim etiam exorta esse ex quaestionibus, quae ab Ratisbonensi praesidio regiminis ponebatur et quibus agebatur praeter alia de rumoribus ad futuram expeditionem missionariam spectantibus. - *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 112 sqq., qui suspicatur episcopum Ratisbonensem tales interrogationes instigavisse.

alumnis pecuniam itinerariam esse traditam.<sup>26</sup> Certe etiam Georgius Dengler atque Fridericus Scheugenpflug, quorum auxilio domus missionaria Richopagensis instituta erat, de his eventis non ita gavisus sunt, quia nesciverant, quid de fundatione suā fieret.<sup>27</sup> Videtur autem P. Andreas Amrhein non ita curavisse, ut omnes, ad quos haec transmigratio officialiter pertinuit, satis mature atque satis clare informationes acciperent.<sup>28</sup> Tamen imprimis ipsi vicini domūs missionariae Richopagensis vere doluerunt, quod missionarii abierunt, cum bonam concordantiam cum iisdem habuissent atque invicem emolumenta quoque percepissent.

Quamvis pauci sodales Richopagi remanerent,<sup>29</sup> dies 7<sup>us</sup> m. Nov. a. 1887<sup>o</sup>, quo maior pars profecta est, dicitur esse ille dies, quo Richopagum atque Ambinga Ottiliensis definitive atque prorsus coniungebantur.<sup>30</sup> Hunc in modum domus Richopagensis ut domus missionaria atque centrum missionarium exstare desiit.

Tamen difficultates nondum erant finitae. Nam in fine anni 1887<sup>i</sup> in actis diurnis, q.t. «*Ratisbonensis Pagina Matutina*»,<sup>31</sup> nonnullae symbolae invectivae divulgatae sunt, quarum prima causa fuerat illa condicio iam commemorata, quā in transmigratio ad Ambingam plures alumini iuniores (minus quam sedecim annos habentes) domum missi sunt. Sed causae verae, cur haec aliaque opprobria divulgarentur, videntur profundiores atque magis generales fuisse.

Prima autem symbola huius generis die 26<sup>o</sup> m. Nov. a. 1887<sup>o</sup> in lucem edita

---

<sup>26</sup> Cfr Leander BOPP (1954), p. 122; Frumentius RENNER: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), pp. 115.

<sup>27</sup> Videntur iidem iam mense Martio a. 1887<sup>i</sup> commercium epistulare de hac quaestione cum P.re Andrea Amrhein instituisse. Itaque illi duo viri magis providi erant quam magistratus atque ipse episcopus Ratisbonensis. - Cfr Leander BOPP (1954), pp. 116 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), pp. 93 sqq.

<sup>28</sup> Etiam episcopus Ratisbonensis Ignatius von Senestrey videtur nullas informationes officiales ab P.re Andrea Amrhein accepisse.

<sup>29</sup> Pauci remanserunt ad reliquas res ordinandas. Etiam opera in bracīna, quae erat, aliquamdiu continuabantur.

<sup>30</sup> Cfr Leander BOPP (1954), p. 116; Bernita WALTER (1985), p. 80. - Tamen in «Calendario missionario» in conexū primae expeditionis missionariae susceptae adhuc leguntur haec: «St. Ottilia unā cum domo suā matrice Richopagensi non haesitat (inceptum aggredi).» [Missionskalender 1, 1888, p. 37]. (Textus originaliter Theodiscus).

<sup>31</sup> «Regensburger Morgenblatt».



est. Iam eadem erat satis infesta, eo magis vero omnes sequentes.<sup>32</sup> Auctor autem primae symbolae imprimis misericordiam cum iuvenibus dimissis evocare atque praepositi malum modum se gerendi hac in re demonstrare voluit. Argumentum vero secundae symbolae, quae die 30<sup>o</sup> m. Nov. a. 1887<sup>o</sup> divulgata est, spectat ad expeditionem missionariam. Proferuntur enim opprobria sorores fratresque, qui in Africam mittebantur, ad tales labores non satis sufficienter eruditos esse et insuper tantummodo unum sacerdotem nimis iuvenilem cum ipsis versari. Tertiā symbolā, quae die 3<sup>o</sup> m. Dec. a. 1887<sup>o</sup> in lucem editā est, rumores de malā condicione pecuniariā domūs missionariae exhibent et deinde auctor scribit P.ris Andreae Amrhein consilium Richopagum relinquendi non esse intellegibile atque causas ab ipso prolatas esse solum ficticias.

Occasio autem harum symbolarum ab adversariis bene electa erat, cum illo tempore P. Andreas Amrhein propter expeditionem missionariam atque propter praefecturam apostolicam accipiendam Romae versaretur,<sup>33</sup> quā de causā ipse non statim rem suam defendere potuit. Nihil vero proderat, quod Fr. Paulus Sauter brevi relatione die 6<sup>o</sup> m. Dec. a. 1887<sup>o</sup> divulgatā quaedam opprobria refutare conatus est. Nam symbolae actorum diurnorum continuebantur textū die 9<sup>o</sup> m. Dec. a. 1887<sup>o</sup> edito, cuius opprobria culmen habebant postulato, quo P. Andreas Amrhein ex Richopago amovendus esset.<sup>34</sup>

P.ri Andreae Amrhein hae symbolae iam innotuerunt, cum adhuc Romae versaretur, quā de causā hanc rem in notitiam Congregationis de Propagandā Fide perferre potuit et etiam D.ri Paulo Baumgarten iuristae, quocum relatione amicali iunctus erat, tradidit. Ille Dr Baumgarten deinde 13<sup>o</sup> m. Dec. a. 1887<sup>o</sup> in actis diurnis, q.t. «*Augustana acta diurna cursualia*»,<sup>35</sup> symbolam responsoriam divulgavit, quā aperte atque clare omnia opprobria refutavit atque modum progrediendi esse inconvenientem reprobandumque diiudicavit.<sup>36</sup>

---

<sup>32</sup> Cfr Leander BOPP (1954), pp. 122 sqq.; Frumentius RENNEN: Leuchter I (1979), pp. 118 sqq.; Bernita WALTER (1985), p. 79; Paulus WEISSENBERGER: Abt Plazidus Vogel und die Anfänge der Benediktinerkongregation von St. Otilien. In: Studia Suarzacensia. Würzburger Diözesanblätter 25, 1963, p. 271.

<sup>33</sup> Cfr supra cap. 2.3.3.1.

<sup>34</sup> Cfr Leander BOPP (1954), p. 124.

<sup>35</sup> «Augsburger Postzeitung».

<sup>36</sup> Cfr Leander BOPP (1954), pp. 125 sqq.; Frumentius RENNEN: Leuchter I (1979), pp. 120 sqq. - Secunda symbola explicatoria Pauli Baumgarten die 23<sup>o</sup> m. Dec. a. 1887<sup>o</sup> divulgata est.

Responsa autem publica Pauli Baumgarten videntur bonum effectum in favorem P.ri Andreae Amrhein habuisse. Nam unā ex parte «Ratisbonensis pagina matutina» de hōc themate paulatim obmutuit,<sup>37</sup> alterā ex parte Monacensis nuntius apostolicus episcopo Ratisbonensi minatus esse dicitur se ipsum intercessurum esse, nisi tales symbolae finirentur.

Actorum diurnorum Ratisbonensium symbolae malignae et obrectatoriae, quae cum realitate non congruebant atque nullum fundamentum in re habebant, P.ri Andreae Amrhein eiusque incepto nocere voluerunt. Sed quaestio exoritur, quae fuerit causa et quis hanc rem instigaverit. Ad quam quidem quaestionem responsum omnino manifestum non est inventum. Suspicio vero satis mature exorta est ipsum episcopum Ratisbonensem Ignatium von Senestrey has invectivas exhibendas curavisse, cum praeter alia stomachatus esset, quod missionaria expeditio, quamvis ipse machinationibus quibusdam contra eandem egisset, tamen fieri potuit.<sup>38</sup> Sed iam ab initio relationes inter hunc episcopum atque P.rem Andream Amrhein non erant nimis prosperae. Cum autem auctor sive auctores<sup>39</sup> symbolarum malignarum essent anonymi, etiam iidem revera capi non potuerunt, quamquam putabatur eos ad propinquos episcopi pertinere.<sup>40</sup>

---

<sup>37</sup> Imprimis ille nuntius videtur obrectatoribus inopportunos fuisse, quo manifestabatur P.rem Andream Amrhein die 6<sup>o</sup> m. Dec. a. 1887<sup>o</sup> officialem licentiam Congregationis de Propagandā Fide accepisse, quā domum Richopagensis omnino dissolvere potuit. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 127; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 123; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 271.

<sup>38</sup> *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 127 a; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 116.

<sup>39</sup> Leander BOPP (1954), p. 122 putat saltem duos auctores varios fuisse.

<sup>40</sup> Magistratus quidam regionalis in relatione suā suspicatur auctorem fuisse parochum Fuchs Walderbacensem vel etiam Georgium Dengler. Ipse P. Andreas Amrhein aliquando ad Georgium Dengler scripserat famā eum auctorem symbolarum nominari, quo opprobrio idem scilicet non nimis exhilaratus erat. Paulus Baumgarten suspicatur D.rem Franciscum Iosephum [*Franz Josef*] Ludwigs, qui erat adiutor episcopi, auctorem fuisse (postea etiam nomen D.ri Francisci [*Franz*] Leitner apparuit). Quae suspicio videtur verisimilior esse. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 127; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 117 adn. 128.

D.rem Franciscum Ludwigs revera in has machinationes involutum fuisse videtur manifestari ex colloquio, quod Catharina Scheins die 17<sup>o</sup> m. Ian. a. 1888<sup>o</sup> cum eodem habuit. Catharina Scheins de hōc colloquio rettulit - ut Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 122 adn. 136 ad Annales Ottiliensis referens adnotat - D.rem Ludwigs versionem Latinam symbolarum suarum praeparavisse, quam papae offerre in animo haberet. Tamen hōc in conexū saltem duae quaestiones exoriuntur: Cur Dr Ludwigs Catharinae Scheins, quae ad domum missionariam pertinebat, quasi confessus est se

Quamquam illae symbolae malignae in actis diurnis Ratisbonensibus scopo nocivo divulgabantur, videntur P. Andreas Amrhein et domus missionaria quōque quadamtenus emolumentum ex hac re habuisse. Nam unā ex parte ipsi Vaticani P.ri Andreae Amrhein eiusque incepto hac in re favebant, alterā ex parte etiam Iohannes Lutz, Bavariae praesidens administratorum, eo plus P.rem Andream Amrhein sustentavit, cum ipse semper magnas difficultates cum episcopo Ignatio von Senestrey habuisse videretur.<sup>41</sup>

Hae Ratisbonenses actiones iniucundae fortasse ultimum impulsus effecerunt, quo P. Andreas Amrhein Richopagum omnino relinquendum atque domum Richopagensem dissolvendam decrevit. Unica causa certe non erat, ut ex transmigratio, quae magnā ex parte iam antea facta erat, apparet. Ceterum verisimiliter non erat ita facile illum locum relinquere, qui initium domūs missionariae fuerat et in quem tanta pecunia et tot labores iam impositi erant.

Aedificia autem Richopagensia P. Andreas Amrhein secundum contractum anni 1883<sup>i</sup> Georgio Dengler denique die 13<sup>o</sup> m. Ian. a. 1888<sup>o</sup> iterum vendidit.<sup>42</sup>

SIGRIDES ALBERT

[Vox Latina 177, 2009, pp. 325-335]

---

esse auctorem illarum symbolarum, et cur ille eadem consilia sua patefecit? - Et - quod etiam non est nullius momenti - quid Catharina Scheins apud D.rem Ludwigs habuit quaerendum et qualia colloquia cum ipso habuit instituenda?

<sup>41</sup> *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 128; Frumentius RENNER: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), p. 122. - *Cfr* etiam Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe eines Missionsberufs 3. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.): Der Gründer. Schriften. St. Ottilien 2006, pp. 146 sq., qui hanc condicionem breviter commemorat.

<sup>42</sup> In illo contractu legebatur, si quando domus missionaria Richopagensis dissolveretur, primo Georgio Dengler licere aedificia eodem pretio emere, quo illo tempore acquisita erant. Videntur autem dissensiones quaedam inter P.rem Andream Amrhein et Georgium Dengler fuisse, quia P. Amrhein aedificia Richopagensia suā sponte vendere voluit lucrum quoddam respiciens. - *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 128 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (<sup>2</sup>1979), p. 124; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 271.